

tutem Divinam, unica omnipotentiae abyſſo comprehenſam infinitas in deitates ita diſtraxerint, quaſi caucaſum immanem in meros atomos diſcerpere voluiſſent.

## DIALOGUS V.

De diverſitate, ac multiplicitate  
Deorum.

PUBLIUS.

**E**quidem fateor, quia pudet me, in enarranda idololatria dementia fatigare te, totque bonas horas tibi ſurripere, Honorande Tulli. Quoniam vero Roma, cum Graecis delirans, tantum auri, argenti, æriſque ſui ſignati, in hoc monſtrum ſtultæ ſuæ imaginationis pingendum inſumſit, Rei Nummariæ veteris cognitio ſine ſuperſtitionis hujus nonnulla tractatione maxima fere ſui parte laboraret. *TULL.* Juvabit nos ad virtutem in hac qualicunque induſtria noſtra, ſi, quo ſævius hanc peſtem in omne prope hominum genus, orbemque univerſum pervagatam eſſe planxerimus, tanto excellius de abyſſo Bonitatis, & Miſericordiæ Dei, atque Gratia Salvatoris cogitemus. *PUBL.* Erigis hoc monito ſaluberrimo trepidantem animum, tibi que, ut Superi largientur, morem piſſimum gerere, diligenter conſitar.

*TULL.* Vetuſtiſſimorum Scriptorum ſuis de Diis narratio uſque adeo perplexa, inconfans, & vel in unius libriſ contraria eſt, ut vel hinc quaſi liquido conſtet, neſciſſe eodem, quid ſcirent. Idem *Dionyſus Halicarnaſſeus* nunc teſtem agit *Varroni*, ac *Plutarcho* tradentibus, Romæ ad uſque *Tarquini Prisci* tempora nullum idolum fuiſſe; nunc e conſerſo aſſerit, Romulum illico Tempſa, & Fana, araſque, & ſimulacrorum Delubra,

I.

II.

Lib. II.  
cap. 36.

Ibid. c. 9.

eorumque effigies, atque signa & insignia, ac potestates instituisse, optimos quosque Græcorum ritus in his insecutum.

Conciliare ista, qui volunt, primum locum vel de statu is hominum accipiunt, de quibus *Cassiodorus*, per antonomasiam *Senator* dictus, de Roma loquens, acute pronuntiavit: *Tot ibi Statuas fuisse, ut posteritas parem populum cum arte dederit, quam natura procreavit.* Quo autem *Dionysium* respexisse non arbitror; vel persuadent sibi, sermonem ei fuisse de pretio, & elegancia simulacrorum divinorum, cum initio rudissima omnia essent, sero demum adhibitis. Nam & *Ovidius* cecinit:

Fastor. I.  
v. 198.

Dum populus pauper, dum nova Roma fuit,  
Jupiter angusta vix totus stabat in æde,  
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Conforme hoc fuit legi, quam *Plato* sanxerat, apud *Ciceronem* laudatæ, quæ ita habuit: „Aurum & argentum, & in urbi-  
IV. DeLegib. „bus, & privatim, & in Fanis, invidiosa res est. Tum ebur,  
L. II. c. 18 „ex inani corpore extractum, haud satis castum donum Deo,  
„Jam æs, & ferrum duelli instrumenta. Lignum quodcumque  
„voluerit, ex uno ligno dedicato, i. e. simulacrum Dei ex illo  
fac ligno, aut arbore illa, quæ cuilibet Numinum chara & sacra existit.

V. *PUBL.* Sic habent res hominum. Quotusquisque præfidet, pro suo sensu arbitratur ac; statuit non tamen impetrat, ut extra potestatem ejus, vel infra ætatem illius constituti, cum eo consentiant, Hinc quanta opinionum varietas, tanta & earundem actionum diversitas est. *TULL.* Oportet attamen, qui una sunt communitate loci, una etiam disciplinæ sint communionem, ac proinde inferior quisque sensum suum superiori libenter subjiciat. Currus, equis jugum renuentibus, aut rotis inæqualibus, rite progredi nequit. Idcirco & Romani nullis aliis Diis cultum in populo permiserunt, nisi eisdem, quos communi decreto colendos esse statuissent.

Pri-

Prima proinde Deorum partitio erat in Deos certos, & *Am-  
biguos*. Postremi generis fuerunt, de quibus admittendis anceps  
adhuc sententia pendebat, teste *Ovidio* canente:

Quos quoniam cœli nondum dignamur honore,  
Quas dedimus certe terras habitare finamus.

Metamor-  
ph. I. v.  
194.

Græci, ne nullum religionis officium prætermitterent, ac tanto  
certius Deos omnes haberent placatos, etiam *Ignotis* Diis classem  
dederunt; cujusmodi aram Apostolus offendens, idcirco Athen-  
nenses per omnia superstitioniosiores dixit, & eisdem, quod igno-  
rantes colerent, annunciavit. *PUBL.* Fefellit hic illud: *Ignoti*  
*nulla cupido*; quamquam insipientes illi Deum sapientius enunciare  
vix potuisse videantur, nisi dum *Ignoti* nomen eidem tribuerunt,  
cujus per omnia fuerunt ignari.

A&tor.  
XVII, 23

*TULL.* Disparitas Deorum princeps petebatur a loco, quem  
habitare credebantur. Inde *Superi* alii, alii *Medioximi*, de-  
mum *Inferi* alii audiebant, cultu inæquali affecti. *Superis* nam-  
que, cœlum incolentibus, tres aræ ponebantur, iisque sacra  
facturi, toto corpore loti, ter in vota vocatis per hymnos, thus,  
& vinum adoleverunt, de quo postremo & ipsi gustabant. Vi-  
ctimas albas, & impari numero esse oportuit; liquor e pate-  
ra fusus est, invocatio alta voce facta, manus in cœlum, vel  
ad idolum tendebantur. Contra Diis *Inferis* aræ duæ surgebant;  
qui eas posuit, conspersus aqua, non ablutus fuit; bis dunta-  
xat, & voce submissa invocabat; libavit lacte, fufasque victi-  
mas pari numero immolavit, de oblati nihil penitus gustans.  
Vas quoque affusi lactis foco iniecit; manus terram versus porre-  
xit. De *Medioximis* accipiendus videtur *Lucanus*, eosque optime  
his versibus descripsisse.

VII.

Quaque patet terras inter Lunæque meatus,  
*Semidi Manes* habitant, quos ignea virtus  
Innocuos vitæ, patientes ætheri imi  
Fecit, & æternos animam collegit in orbis.

Silvar  
Libr. IX.  
v. 6.

Græ.

VIII. *PUBL.* Si medium cœlos inter terramque locum Dii isti tenuerunt, ut quid *Medioximos* eos potius, ac *Medios* dicere placuit? *TULL.* Nihil abs re. Etenim a virium discretione rursum Deos *Magnos*, *Medios*, ac *Breves* distinxerunt. Primi vehementis erant operationis, ut Jupiter tonans, Mars cædens, Hercules prosternens &c. Secundi pacatius rem agebant, quemadmodum Diana, Liber &c. Tertii plane molles habebantur, nimirum Apollo, Mercurius, Venus. Atque in hanc virtutis discretionem tam diligenter intendebant Romani, ut etiam in construendis Templis rationem illius haberent. *Magnis* enim Diis fiebant ædes Dorici ordinis, cujus columnæ fortissimæ sunt. Diis *Mediis* adhibitus ordo Jonicus ornatior, sed nonnihil infirmior. Diis *brevibus* delectus ordo Corinthius elegantissimus, ast minime fortis. Ita *Viruvius* docuit, veterum Architectorum celeberrimus.

Lib. I. c.  
2.

IX. Pariter & *Geniales*, ac *Genitales* Dii alii ab invicem erant. Priores quippe referebantur ad res, quas in usum generis humani producerent, vel in se continerent. Sic Elementa, Sol, & Luna, Zodiacus, Annus, hisque similia. Posteriores colebantur, ut Parentes, ac Tutelares Gentium, Urbium, Familiarum, singulorum cujuslibet conditionis hominum, & privatarum etiam personarum. *PUBL.* Sane non rudem esse oportuit, sed exporrectum ratione, memoria expeditum, qui singulis Diis præconium debitum reddere voluit.

X. *TULL.* Parum est, quod hætenus dixi; Romanus cum fuisses, multo plura tu nomina tenere debueras. Tritum est:

Juppiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto,  
Regna paterna tenent, trës tria, quisque suum.

Horum porro unicuique sua Deorum curia assignata fuit, quorum choro stipatus habitaret, consideret, pranderet, procederet, consilio præterea, opera, vel obsequio uteretur. Aulam Jovis cœlestes dii composuere, *Superi*, vel *Consentes* dicti. Neptunum stipabant in aquis Tritones, Najades, Nereides, *Aquaziles*

*viles* nuncupati, vel a litorum observatione *Litorea*. Plutonis curia *Inferis* diis constabat, qui & *Magici* dicti, quod vi quadam ineluctabili ad se omnia traherent. Ibi *Minos*, *Acacus*, *Rhadamantus* mortuorum; *Judices* *Charon* stygis navita, *Furiæ*, *Eumenides*, ministræ suppliciorum. Quibus tamen oppositi *Dii Averrunci*, qui contraria virtute, præditi, mala ipsamque mortem, aliquanto saltem tempore averterent.

*Consentes* dum explicant veteres, nunquam fere sese inter consentiunt, suo perhibentes testimonio, nihil se nisi nugari. *Urbanis* alii, & alii *Rustici* agricolarum scilicet *Numina*, recensentur. *Primos Ennius* his versibus complexus est, eosque duodecim, sex mares, ac totidem fœminas.

XI.

Apud Apuleium  
de Deo Socratis.

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus: Mars,  
Mercurius, Jovis, Neptun, Vulcanus, Apollo.

In quibus vero alii mutant, & addunt. De *Rusticis* audiendus *Libr. I.* est *Varro*, suos hoc de argumento libros ita fere auspicatus. *cap. I. de re Rustica*

„ Et quoniam, ut ajunt, Dei facientes adjuvant, prius invocabo eos; nec, ut *Homerus*, & *Ennius*, *Musas*, sed *XII. Deos Consentes*. Neque tamen eos *Urbanos*; quorum *Imagines* ad forum *Aurata* stant, *sex Mares*, & *sex Fœminæ* totidem; sed illos *XII. Deos*, qui maxime *agricolarum duces* sunt. *Primum*, qui omnes *fructus agriculturæ* cœlo, & terra continent. *Jovem*, & *Tellurem*. Itaque duo hi *Parentes Magni* dicuntur: *Jupiter Pater* appellatur, *Tellus terra Mater*. *Secundo Solem*, & *Lunam*; quorum tempora observantur, cum quædam feruntur, & conduntur. *Tertio Cererem*, & *Liberum*: quod horum fructus maxime *necessarii ad victum*. Ab his enim *cibus & potio* venit e fundo. *Quarto Robigum*, & *Floram*; quibus propitiis neque *rubigo frumenta*, atque *arbores* corrumpit, neque non *tempeste* florent. Itaque *publicæ Robigo feriæ Robigalia*, *Floræ Ludi Floralia* instituti. *Item adveneror Minervam*, ac *Venerem*; quarum unius *procuratio Oliveti*, alterius *Hortorum*, quo nomine *Rustica vinalia* instituta. *Nec non etiam precor Lympham*, ac *Bonum eventum*; quoniam *sine aqua* omnis

„ omnis arida ac misera agricultura, sine successu: ac bono eventu, frustratio est, & non cultura.

XII. *PUBL.* Virtute opitulatrice in tam varios divisa, prodigii sane loco fuerit, ita omnes coluere Deos, ut ne invicem æmulati, hostiles in iras mutuo consurgerent. *TULL.* Ipsum hoc erat, quod *Homero*, *Virgilio*, aliisque, campum spatiosum, Deorum Dearumque iras comminiscendi aperuit. Spretæ injuriæ formæ, memori, quæ mente repostæ steterat apud Junonem, Iliadi, & *Æneidi* universæ in argumentum suffecit. Sileo porro cætera Ceorum nomina, qualia fuere *Vialium*, *Semitalium*, *Terminalium*, *Prodromæorum*, *Vestibulariorum* &c. quorum officia e sola appellatione facile liquent.

XIII. Erant autem & *Communes*, Romæ videlicet admissi, quando fœdus alio cum Populo, alios Deos habente, feriebatur. *Novensiles* item, sive nuper in censum recepti ex conjunctione Sabinorum cum Romanis. *Peregrini*, exteris Romæ habitantibus coli permiffi ne, vetito eorum cultu, in iram & odium urbis exsurgerent. Minime omnium *Indigetes* tacendi, quorum tutela Romæ salus peculiariter nitebatur. Horum nomina, solis nota Sacerdotibus, in populum vulgari, sanctissime cautum fuit. *PUBL.* Cui, obsecro, usui tales dii, & quoniam suo lucro Numina erant, quando nec prædicari, neque coli a quopiam potuerunt?

XIV. *TUEL.* Mysterium ex *Plinio* discite. „ *Verrius Flavus* (ait)  
 „ Auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia  
 „ solitum a Romanis Sacerdotibus evocari Deum, cujus in Tutela  
 „ id oppidum esset, promittique illi eundem, aut ampliorum a-  
 „ pud Romanos Cultum. Et durat in Pontificum disciplina id  
 „ Sacrum, constatque, ideo occultatum, in cujus Tutela Roma  
 „ esset, ne qui hostium simili modo agerent. „ *Macrobius* etiam  
 „ formulam Evocationis ponit, hoc initio conceptam: „ Si  
 „ Deus, si Dea est, cui Populus, civitasque Carthaginensis est  
 „ in tutela, teque maxime ille, qui urbis hujus, Populique tute-  
 „ lam recepisti, precor, venerorque, veniamque a vobis pre-  
 „ cor, ut vos populum, civitatemque Carthaginensem deseratis  
 „ - - - propitiique Romam ad meosque veniatis. - - -  
 „ Si ita feceritis, voveo vobis templa, ludosque facturum. „  
 Causam Evocationis ipse quoque reddidit, subjungens. Quod  
 haud

haud aliter urbem capi posse crederent , aut etiam si posset , nefas existimarent , Deos habere captivos. Videtur itaque , *Indigetum* nomen inde tractum , quod hujusmodi diis ad sui conservationem urbs maxime indigeret. Neque tamen tale Numen cultu omni destituebatur , cum non una Lapidum inscriptio apud *Gruterum* habeat : SIVE DEO , SIVE DEÆ &c.

Postremum *Cicero* Deorum classes omnium brevissime terno numero constringit , statuitque *Deos* , *Semideos* , ac *Deiformes*. Primos ait , qui semper cœlestes habitus sunt. Secundos , quos merita vocarunt in cœlum , ut , cum homines essent , consecrarentur. Tertios vult omnia illa , propter quæ datur ascensus in cœlum , & quæ si quis habeat , Deos in animo suo collocatos esse existimetur. In postremis ergo v. c. numerat Mentem , Virtutem , Honorem , Pietatem , Fidem , Spem , Pacem , Libertatem , & quæ hujusmodi sunt. *PUBL.* Bonum est , Divinum , si Superis placet , hunc Populum angustis his terminis constringi , ut ad Nummos accedamus. *PUBL.* Audi adhuc , quantum *Livius* numerum Deorum extendat , jactans in insipientia sua : „ Urbem auspicato inauguratoque conditam habemus. Nullus „ locus in ea non religionum , Deorumque est plenus. Sacrificiis „ solemnibus non dies magis statim , quam loca sunt. „ Amplius aliquid professus est *Quartilla* apud *Montsoconium* inquiens : „ No- „ stra regio tam presentibus plena est Numinibus , ut facilius possis Deum , quam hominem invenire.

*PUBL.* Tantam tu mihi idololatriæ fatuitatem percenses , ut arbitrer stultitiæ hujus , vel auditæ duntaxat , aut lectæ , pudore ingenuum quemlibet affici debere , & ex re tota profana , atque impia , nihilominus compelli quodammodo ad gratissimi animi erga Deum significationem , quod nos lumine suo a tam infanda dementia fecerit alienos. *TULL.* Magnam superstitionis hujus propudiosissimæ partem ii , qui a Græcis & Romanis pro sapientibus habebantur , probe agnoverunt , & ideo sensu suo , circa Deos a populo longe distabant. Quem , cum pariter varius fuerit , ut uno adhuc Dialogo ex me intelligas , operæ pretium erit. *PUBL.* Discam libens , quod utile tu mihi affirmas.

XV.  
Libr. II.  
de Natur.  
Deor.

Decad. I.  
L. I. c. 52.

Antiqui-  
tat. Tom.  
I. P. I. §.  
II. Procem.

XVI.